Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31491
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



I ad Corinth.

Et beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod et ego spiritum Dei habeam.

Capit. 8.

Scientia inflat. Caritas vero edificat. Si quis autem diligit deum hic cognitus est ab eo. Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in eternum ne fratrem meum scandalizem.

Capit. 9.

Nos militat suis stipendiis unquam. Si nos vobis spiritalia seminamus magnum est si nos carnalia vestra metamus. Nescitis quia qui in sacrario operantur quae de sacrario sunt edunt. et qui altario deservunt cum altario participantur. Ita et dominus ordinavit his qui evangelium annunciant de evangelio vivere. ~~[illegible]~~

Capit. 10.

Nec simus concupiscentes malorum. Neque idolatrae efficiamini sicut quidam ex ipsis sicut scriptum est sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt et ceciderunt una die viginti milia. Neque tentemus Christum sicut quidam ex ipsis tentaverunt et perierunt a serpentibus. Neque murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt et perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia figurae contingebant illis. Scripta autem sunt ad correptionem nostram in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui stare videtur ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana.